



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonius Dialogus. Activs Dialogus. Aegidius  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

De Proditoribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

DE SERMONE

oratione facta & illecebrosa admodum. Itaq; eiusmodi homines  
illecebrosos dicimus, magis quam Fucatos, quamvis illecebroſitas non  
careat fuso. Quando omnem uerborum compositionem, quae ex eo  
adhibetur, quo aut uerum oculat, aut fictum quippiam uero adju-  
cat, aut tanquam comat quod dicitur; ac res, & uerba lenit, fusum  
dicamus. Nam & fuso puellæ utuntur, quo aut formosæ magis appa-  
reant, aut ut quod inest deformitatis, aut omnino tegant, aut ex par-  
te minuant. Itaq; ut sermo horum illecebrosus, sic Fucatus illorum.  
Quæ uitia à simulatione proficiuntur omnia, atq; à dissimulatione.

De Proditoribus.

Pernicioſſimum autem simulatorum genus, itemq; dissimilatorū sunt  
Proditores, quippe qui simul & simulant, et dissimulant, tametsi neq;  
simulatores habendi sunt, aut dissimilatores, magis quam supremum  
in modum infidi, iniusti, impij, immanes, truculenti, societatum, ame-  
citarum, rerum publicarum, populorum, regnorum, omnisq; pro-  
bitatis, iuris item diuini, atq; humani, euersores, profligatoresq; uirtue-  
tum omnium, per quos nequaquam stat quo minus humana confor-  
tio funditus tollatur, atq; intereat.

De fallacibus.

Hi tamen simul omnes Fallacium comprehenduntur numero, quippe cum  
mendaces sint omnes. Nemo autem mendax quin idem sit fallax, ac si  
non qui ob uanitatem mentiuntur, & hi se ipſos præcipue fallant.  
Cum primis autem hoc ipso ex ordine accusandi sunt illi quidem, qui  
cum maxime (ut Cicero ait) fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni esse  
uideantur. De quibus merito dicitur quod est apud Plautum, Lupus est  
homo homini, non homo. Horum non modo ficti uultus, uerbāq;,  
uerum etiam uestitus, incessus, capitis, ac cervicis tum demissio, tum  
inflexio, oculorum deiectione in humum, atq; infixio, summum silen-  
tium, rarissima in publicum proditio. Ide quæritant solitudines. uer-  
santur in locis potissimum sacris, quin etiam oris colorem arte de-  
formant. Nullum est autem uite aut genus, aut ordo, in quo uel non  
paucos eiusmodi inuenias. E' sacerdotibus tamen, illisq; quos hodie  
Religiosos dicimus, plurimi hoc uitio infecti sunt, quo merbo affectos  
etiam Philosophos infectatur Iunenalis.

De Hypocritis